

quid transeundo fit, si cui sileat omnino; quoniam, si quis audiat, dicunt haec omnia: Non ipsa nos fecimus, sed fecit nos, qui manet in aeternum. His dictis, si jam taceant, quoniam erexerunt aurem in eum, qui fecit ea, et loquatur ipse solus, non per ea, sed per seipsum, ut audiamus verbum ejus, non per linguam carnis, neque per vocem angeli, neque per sonitum nubis, neque per aenigma similitudinis, sed ipsum, quem in his amamus, ipsum sine his audiamus, sicut nunc extendimus nos, et rapida cogitatione attingimus aeternam sapientiam super omnia manentem, si continetur hoc, et subtrahantur aliae visiones longe imparis generis, et haec una rapiat, et absorbeat, et recondat in interiora gaudia spectatorem suum, ut talis sit sempiterna vita quale fuit hoc momentum intelligentiae, cui suspiravimus; nonne hoc est: intra in gaudium Domini tui? Et istud quando? An, cum omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur? Dicebamus talia, et si non isto modo, et his verbis tamen, Domine, tu scis, quod illo die, cum talia loqueremur, et mundus iste nobis inter verba vilesceret, cum omnibus delectationibus suis, tunc ait illa: Fili, quantum ad me attinet, nulla jam re delector in hac vita. Quid hic faciam adhuc, et cur hic sim, nescio, jam consumpta spe hujus seculi. Unum erat, propter quod in hac vita aliquantum immorari cupiebam, ut te Christianum catholicum viderem prius, quam morerer. Cumulatus hoc mihi Deus meus praestitit, ut te, etiam contempta felicitate terrena, servum ejus videam. Quid hic facio?

#### CAP. XI. DE EXSTASI ET MORTE MATRIS.

Ad haec ei quid responderim, non satis recolo. Cum interea vix intra quinque dies, aut non multo amplius, decubuit febribus. Et cum aegrotaret quodam die, defectum animae passa est, et paululum subtracta a praesentibus. Nos concurrimus, sed cito reddita est sensui, et aspexit astan-